

2.

Hactenus per *annos* usq; *sex* refrixerat studium conti-
nuandarum de Rhetoricâ exercitationum, jam verò
ad votum *Programmaticis centesimi vicesimi quinti* si non
recalescere, in tepefcere tamen videtur. Postquam e-
nim an. MDCLXI. de *Rbetorica* &, quod in eâ præcipu-
um est, *genere Demonstrativo* publicè declamari cœptum esset, testan-
te Progr. CXXXVI. ferventi studio continuabatur, quando de *gene-
re Deliberativo*, anno eod. (Progr. CXLIV.) de *Judiciali* verò & *statibus*
appertine ntibus an. MDCLXIII. (Progr. CLXX: & CLXXIV.)
de *Argumentis inartificialibus*, de quibus agit *Vossius Partition. Orator. lib. I.
cap. ult.* ut sunt *Leges, Testimonia, Pacta, Quæstiones & Jusjurandū*,
anno insequuto (Progr. CLXXIIX.) publicæ dissertationes habitæ
fuerunt. Quod lib. II. *Partition. Vossianar.* attinet, ubi in priorib. XV.
capp. de *Afectibus & Moribus* tractatio habetur, quomodo nempe *illi*
ab Oratore *ciendi*, *bi* verò in auditoribus ab eodem ita *attendaendi*, ut
facilior & felicior procedat *persvasio*, de ijsdem antea in aliquot
etiam actibus peculiaribus agebatur. Sequutus est igitur liber tertius
de altero Oratoris officio, *Dispositione*: ubi de *Exordio* an. MDCLXV.
(Progr. CXC.) de *Narratione & Propositione* an. LXVI. (Prgr. CCXII.)
Confirmatione, an. LXVII. (Progr. CCXXVII.) de *Confutatione & Per-
oratione*, anno sequenti actum fuit. Quartus liber habet doctrinam
de tertio Oratoris officio, quæ est *Elocutio*, de quâ eod. ann. LIX. per-
orabatur (Progr. CCXLI.) Postmodum verò de *Tropis*, quorum
communissimus est *Metaphora*, de quâ, uti & *Metonymia*, uno & eo-
dem dictum fuit anno MDCLXX. (teste Progr. CCLVI; &
CCLXIIIX.) ac denique de *Synecdoche* ann. MDCLXXI. (Progr.
CCXXC.)

Hosce jam excipit Tropus quartus *Troponia*, cujus vocabuli in-
cunabula à Græcis sunt arcessenda, non quidem à Corybantibus seu
Idæis dactylis ex Cretâ, sed ex probatis Lexicorum aucto-
ribus, in quibus facile agmen ducit in Græcis scriptoribus versatissimus *Hen-
ricus Stephanus*, qui nobis grandem illum linguæ Pelasgæ *Theaurum*
colligens omnes ferme *thesauros* suos absumpsit, uti plerumque fieri
solet,